



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Servii E Societate Iesv Amicus Fidelis Vsque Ad
Mortem: Sive Modvs Ivvandi Moribvndos, Ægris, Sanisqve
Perinde Vtilis**

Servius, Philippe

Leodii, 1648

Capvt Qvintvm. Quo modo se gerat Amicus fidelis, cùm æger agit
animam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60032)

CAPVT QVINTVM.

*Quo modo se gerat Amicus fidelis,
cùm æger agit animam?*

QVando æger vi morbi, eò redactus erit vt animam agere videatur; si quid illi Amicus fidelis suggerendum iudicauerit, faciat id paucis, tractim, articulatè & interruptè, quod ijs perpendendis otium aliquod ægro permittatur.

Reperire est interdum, aliquos, qui miseros agonizantes longis ac molestis sermonibus angant, ac desolent potiùs, quàm subleuent ac consolentur, concionatores crederes, ita Rhetoricos locos omnes percurrunt sacra Scripturæ ac Patrum testimonijs, verborumque flosculis exornant: nã, ea intempestiua & concionandi ratio. Crediderim moribundos multos esse, quibus permolestè accidunt eiusmodi consolationes, quiq; si possent, cum

Iob. 16 Iobo dicerent: Consolatores, onerosi vos estis.

estis. Noui ego, sed puer virum appri-
mè doctum, qui cùm luctaretur iam
cum morte, visitatus est à nescio quo,
qui eiusmodi cōcionatoris partes obi-
bat; sed vultu primò, contractiore ab
ægro, vt desisteret, quasi admonitus
est. Cùm verò declamandi finem non
faceret, victa scilicet moribundi pa-
tientia est; quare collectis, quoad po-
tuit affecti corpusculi viribus, diutur-
num silentium abrumpens: Obtun-
dis, inquit, obtundis. Et ad circum-
stantes conuersus: Apagete amabò,
importunum hunc Concionatorem.

Clamosas illas, operosasque, siue
exhortationes siue declamationes, hoc
dilemmate concludo superuacaneas
esse. Vel intelligit moribundus, quæ
dicis, vel non intelligit: si intelligit,
nil opus tanto clamore: si non intelli-
git, multo minùs; imò si intelligit, si-
natur auscultare vocem Domini Dei
sui, hora illa, diuiniore susurro ani-
mas ad se inuitantis. Quòd si vereare
ne diuino semini inimicus homo, ca-
codæmon inquam, superseminet zi-
zania; accede & tu, per me licet; euel-
le,

le, si potes, sed cum ea moderatione,
vt non officiat & tritico.

Breues aliquas oratiunculas siue
sententiolas è sacra Scriptura, vel ex
Sanctis Patribus ad manum habe,
quas subinde, moribundo, in aurem
instilles: sed modo superius indicato,
id est, piè, tractim, articulatè & in-
terruptè, siue per interualla, vt ne de-
fatigetur æger, ei que ruminandi otium
concedatur.

Lubet è Rituali Romano, oratio-
nes moribundo suggerendas mutuari,
vt discant quàm longè aberrent à sco-
po, qui mortuis interdum, aut certè
iam mox morituris tam operosè con-
cionantur. Cùm tempus, inquit expi-
randi institerit, ipse moriens, si potest,
dicat; vel si non potest, assistens, siue
Sacerdos pro eo clara voce pronun-
tiet: Iesu, Iesu, Iesu. Quod, & quæ se-
quuntur, ad illius aures, si videbitur,
etiam repetat.

In manus tuas Domine commen-
do spiritum meum.

Domine Iesu Christe, suscipe spiri-
tum meum.

Sancta

Sancta Maria, ora pro me.

Maria Mater gratiæ. mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. *Ita Rit. Rom. p. 140.*

His ego nonnullas parte secunda annectam.

Vnum addo quod prius dici oportuit; moneat ægrum Amicus fidelis, vt quando vox illum destituerit signo aliquo, verbi gratia, capitis nutu, vel manus compressione, sibi indicet an iterum desideret sacramentaliter absolui.

CAPVT SEXTVM.

§. PRIMVS.

Quenam mortuo præstanda sint ab Amico fideli.

POSTquam moribundus expiraauerit, orationesque funebres recitatae fuerint, Amicus fidelis defuncti animam parentibus, circumstantibusque sedulo commendabit; dicet autem nullo modo defunctum efficacius ab eis iuari posse, quam si purgata statim